ORATIONEM

AVSPICANDI

MVNERIS PROFESSORII

CAVSSA

RECITANDAM

IN DIEM II. FEBR. MDCCCXXXIII.

OBSERVANTISSIME

INDICIT

D. GEORGIVS BENEDICTVS WINER

NVPER IN VNIVERSIT. ERLANG. THEOL. P. P. O.

Disputatur de verborum simplicium pro compositis in N. T. usu et caussis.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Vetus est et communis Grammaticorum praeceptio, qua apud antiquos scriptores, maxime poetas, verba simplicia passim in eorum, quae cum praeverbiis composita sunt, sensum interpretari iubemur [1]), eandemque hanc legem Novi Testamenti explicatores et sibimet ipsis scripserunt et tironibus, qui ad interpretandi artem instituendi essent, sexcenties praeiverunt [2]), simul in eo mirifice laborantes, vt ab hebraeo sermone, cuius totam fere proprietatem in graeca divorum apostolorum oratione expressam esse volunt, formulae suae commendationem vel adeo quandam quasi necessitatis speciem repeterent [3]). In tanta autem tamque infinita sive vocabulorum sive phrasium vi, quae a N. T. auctoribus cum similibus *permutata* h. e., vt trito vocabulo utar, per *enallagen* scripta censentur [4]), haud dubie quaerere attinet, quale sit, quod isti praecipiunt, i. e. quibus caussis nitatur et quos fines habeat, ne, quod interpretibus enallages amantibus quotidie accidere videmus et vero deploramus, in turpia prolabamur vitia, sacris libris vel, quae aliena sunt, temere inferentes vel, quae cum maxime propria, per socordiam, quae eruditionis laudem usurpat, inde exterminantes. Verum me tamen, vt oblata hac scribendi opportunitate istam quaestionem attingerem, alia quoque non movit sed (paene dixerim) incitavit

---

1) Cf. Wesselivs ad Herod. 5, 103. Iani ars poet. lat. p. 101 sqq. Ernesti ad Tacit. Annall. 3, 35. Irmisch ind. ad Herodian. V. p. 1572. Acidal. ad Vell. Pat. 2, 18. 5. Wakefield ad Lucret. 4, 185. 188. Fischer ad Weller Grammat. gr. III. II. p. 64 sq. Bremi ad Cic. de fato c. 18. Rvperti ad Sil. Ital. II. p. 180. Poppo in ind. ad Xenoph. Anab. s. v. ἔχειν et nuper Held ad Plutarchi Timol. p. 469 sq. Add. Serv. ad Virg. Aen. 3, 210. 4, 509. 12, 408.

2) Vid. Glass. Philol. sacr. 1, 3. can. 1. Tom. I. ed. Dathii p. 183 sqq. Fischer proluss. de vitiis lexicor. N. T. p. 124. Haab hebr. griech. Gramm. p. 236 sq. Add. Georgi Vindiciae N. T. ab Hebraismis p. 249 sq. (qui, vt alibi, mirifice ineptit.)

3) Id nuper placuit etiam Haabio l. c.

4) Frustra enim superiore seculo *enallagen* ex N. T. graeco exterminare laboraverat Fr. Wokenivs, Theologus Viteb., cuius haud imperite scripta commentatio in lucem prodiit Viteb. 730. 8. Erat haec vox *βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ*.

caussa; in eo enim sum, vt difficilem et ambiguitatis invidiaeque plenissimum locum, qui est de verborum compositorum pro simplicibus usu, singulari libello persequar; in quo genere multum video a nonnullis tribui huic ipsi argumento, quod a simplicibus verbis, quae pro compositis interdum valeant, sumitur; quanquam facile apparet, aliud esse, id, quod legentibus ex omni sententiae connexione sese offerat, praetermisisse, aliud talem notionem, quae nullo modo cogitanda, interposuisse [5]). Itaque experiar, si possim praecipienda ea, quam dixi, materia, viam mihi quodam modo purgare. Omnem autem hanc, quam in praesenti instituo, disputationem bipartitam facere placet, nam *primum*, quae sit apud idoneos scriptores eius rei, de qua quaeritur, caussa ac ratio, circumspiciam, *deinde* N. T. locos, quibus simplicia verba pro compositis collocata voluerunt interpretes, paullo accuratius considerabo.

Itaque cum sponte intelligatur, non quodvis verbum simplex quovis loco posse pro composito adhiberi (nemo enim dixerit *spondere* pro *respondere*, aut *putare* pro *disputare*, aut *addere* pro *dare*, nec vernacule *gehen* pro *vergehen*), duplex oritur nobis quaestio, una, quae potissimum simplicia compositorum loco usurpare licuerit, altera de caussis, quae scribentem adigere vel possint vel debeant, vt pro composito, cuius propria esset in aliqua sententia sedes, simplex eligat, quod ab notione, quam is mente complectatur, paullo sit remotius [6]). Et illi quidem non multum proficere mihi videntur, qui vocabula ampla et late patentia pro angustioribus propterea valere posse contendunt, quod illis haec naturâ suâ comprehendantur; nam nec verum est omnino, quod isti disputant (quis enim a se impetrabit, vt pro hordeo, quod unice velit audientium animis obversari, frumentum, pro populo aut fago arborem, colorem pro rubore dicat?) et satis constat, interdum angusta vocabula pro latioribus non sine venustate poni (velut *cuspis* pro *gladio*, *tecta* pro *aedibus*, *moenia* pro *urbibus*, cf. Cic. orat. 3, 42.). Tantum igitur abest, vt eo, quem diximus, modo quidquam recte et subtiliter explicuisse, vt difficilem rem magis etiam

---

5) Verissime STALLBAVMIVS ad RVDDIMANNI institutt. grammat. lat. Tom. II. p. 377. facile, inquit, animo intelligas quae addi ratio sententiae postulet, licet non diserte verbis significata; expressa autem et verbis indicata pro non indicatis habere, id vero sine molestia fieri nullo modo potest.

6) Alia est ratio, cum quae priori cuidam verbo coniuncta erat praepositio, ad alterum verbum repeti debet (SCHAEFER ad Demosth. i. p. 246. BERNHARDY griech. Syntax p. 197). Id saepenumero instituendum apud posteriores maxime scriptores, et huius ignoratio rei dici vix potest, quam olim interpretes vexaverit. At vero in talibus sententiis non praetermissam plane, sed semel positam, quae bis deberet, praepositionem esse facile apparet.

impedivisse seque obscuris argutiis temere illaqueasse videantur. Quapropter nos, vitaturi quicquid est ambagium, ipsa compositorum verborum genera dispiciamus; ita enim credo apparebit, quorumnam ea sit vis et potestas, quae commode possit ac sine ambiguitatis metu simplicibus verbis declarari. Iam cum satis appareat, ea verba, quorum sententia cum anteposita praepositione in vnam notionem coaluit (velut *ἀποκρίνεσθαι*, *ἀναγινώσκειν*), non posse simplicibus commutari ullo modo, reliqua vero ad duo genera redeant, unum eorum, quae a praeverbio contrariam quandam vim sortiuntur (vt *ἀποκαλύπτειν*), alterum illorum, quibus plus quam in simplicibus inest: nemo non intelligit, in hoc, quod posterius diximus, genere omnem nostram versari quaestionem. Sed id ipsum, quod a praepositionibus ad verbi sententiam accedit, magnam habet naturâ sua ac multiplicem varietatem; leve est et pusillum in *ἐξαμαρτάνειν*, *ἀποκωλύειν*, *καταδουλοῦν*, *καταδιώκειν*, aliquanto gravius et potentius in *ἐκφαυλίζειν prorsus contemnere*, in *περιαλγεῖν acerbe dolere*; haud parum etiam *reddere* distat a *dare*, *redire* ab *ire*, *praedicere* a *dicere*; denique alio quodque modo ac sensu ex *βαίνειν* facta sunt *ἀναβαίνειν*, *παραβαίνειν*, *διαβαίνειν*, *ἐπιβαίνειν* rel., ex *βλέπειν* singula haec: *ἀναβλέπειν*, *διαβλέπειν*, *ἀντιβλέπειν*, *καταβλέπειν*, *μεταβλέπειν* rel. Num igitur putabimus, pro his verbis omnibus posse simplicia promiscue ac pari facilitate collocari? Neutiquam vero. Etenim si dicas: *is fratri suo pecuniam dedit* pro eo, quod mente agitas et a me cogitari vis, *reddidit*, unde ego, istorum rationes hominum ignorans, coniiciam, non datam sed redditam pecuniam esse? Aut si quis acerbos dolores sentiens *ἀλγεῖν* se profiteatur, qui tandem possim ego quamvis molli animo praeditus in *magni* cruciatus societatem adduci? Scilicet par est huius, de qua quaerimus, caussae ratio, atque eorum, quae per defectionem (elliptice) dicuntur. Non licet scribenti quidquam praetermittere [7]), nisi quod cogitatione comprehendi debere appareat sive ex uno aliquo vocabulo sive ex universa sententiae conformatione. Itaque haec duntaxat composita verba commutari simplicibus posse intelliges, quae eam habeant vim, vt, quod in praeverbio continetur, lectorum quisque ex istis, quos tetigimus, fontibus sponte ac facili negotio

---

7) In *omissione* enim eius, quod praeverbio declarari debebat, cernitur hic, de quo quaerimus, simplicium verborum pro compositis usus. Hoc tam manifestum est, vt non intelligam, qua ratione nonnulli has tales sententias huc traxerint: Herod. 7, 21. *ὁ μὲν ἀπόστολος ἐς τὴν Μίλητον ἦν* (h. e. *παρῆν* v. Fischer. ad Weller. III. II. p. 65.), 6, 120. *τριταῖοι ἐκ Σπάρτης ἐγένοντο ἐν τῇ Ἀττικῇ*. Nulla hic omissionis umbra. Nec *γίνεσθαι εἰς τόπον* valet pro *παραγίνεσθαι*. Memini Germanos etiam audire ita dicentes: *er ist nach der Stadt geworden.*

repetat [8]); velut si VIRGILIVS Eclog. 9, 51. canit: *omnia fert aetas*, neminem latebit, opinor, id esse: omnia *aufert* (cf. BVRMANN. ad Valer. Flacc. 2, 577.). Considera modo, quae antecedunt: insere piros, carpent tua poma nepotes; adde, quae insequuntur: saepe ego longos cantando puerum memini me condere soles, nunc oblita mihi tot carmina cet. Apud LVCRET. vero (6, 726.) *mare ruit arenam* ipsa haec verborum continuatio aperte docet, *ruere* dictum pro *eruere* esse. Multo minus Virgilianum illud: discite — — non *temnere* divos (Aen. 6, 920.), aut hoc, quod eiusdem poetae est: inter se coiisse viros et *cernere* ferro, quemquam morabitur. Sed ita delapsi sumus in peculiare quoddam genus simplicium verborum, quae pro compositis valere posse videantur. Sunt obsoleta vocabula, quae pridem quotidiani sermonis consuetudo vel intermisit aliquantulum vel prorsus deposuit, ita quidem, vt eorum loco confinxerit antepositis praeverbiis talia, quae simplicium sententiam paullo dilucidius aut alacrius exprimerent [9]). Multa istius modi, quae nunc fastidiunt populares, reperire licet in librorum sacrorum interpretatione LVTHERI [10]), atque inde col-

---

8) Secludenda ab hac quaestione mihi videntur talia: Sil. Ital. 13, 806: *subito vultus monstrata Lavinia traxit.* Nam in prosa oratione vix dixeris: *attraxit* vultus. Est hic alius sed finitimus presse loquendi modus, quo pronomina (*in se* traxit, convertit v.), quae lentam et pinguem redditura sunt orationem, praetermittuntur. Vernacule haecce angustius et propemodum grandius dicuntur: *wenn du einst scheidest, sollen unsere Gedanken dich begleiten*, quam si addideris: *von uns.* Tum haud dubito equidem, formulam *vaginâ ducere ensem* (Sil. Ital. 8, 340.) ex hoc genere eximere. In ipso enim ablativo casu inest, quod praeverbio *ex* ut indicaretur postularunt viri docti. Nec poetam reprehendes, opinor, qui, quod uno verbo posset, duobus nollet enunciare. Similiter existimo de loco Xenoph. Cyrop. 7, 1. 36. ἔχειν τοὺς πολεμίους τῆς εἰς τὸ πρόσθεν προόδου; nam quae sit patrii casus natura, vix quemquam fugit. Denique nunc non esse puto, qui cum FISCHERO (ad WELLER. III. II. p. 65.) censeat, ap. Aristoph. Plut. 644. φέρ᾽ οἶνον dictum esse pro composito aliquo verbo. Nosmetipsi in quotidiano sermone: *bring Wein.* Nam si quid ferri simpliciter iubeo, in promtu est *afferri* debere, quae poscam.

9) Senec. ep. 58.: quaedam simplicia in usu erant, sicut *cernere ferro* inter se dicebant — — quod nunc *decernere* dicimus. Simplicis illius verbi usus omissus est." — Interdum accidit, vt vocabulum ab usu quotidiano intermissum, in una quadam formula retineretur, sicut *animo linqui* (de quo v. vid. DOEDERLIN. lat. Synon. III. p. 291.)

10) Cf. Ier. 11, 9. *wie sie in Juda sich rotten*, Lev. 10, 6. *ihr sollt eure Häupter nicht blössen*, Ezech. 46, 18. *soll sein eigen Gut auf seine Kinder erben*, Act. 19, 31. *dass er sich nicht gebe auf den Schauplatz*, Luc. 17, 8. *Schürze dich*, Iob. 18, 14. *das Siegel wird sich wandeln wie Leinen.* Multa alia suppeditabat TELLERVS in libro: *vollständ. Darstell. u. Beurtheil. d. deutsch. Sprache in Luthers Bibelübersetz. Berl.* 1794. 8. *P. I. p.* 10. *sqq.*

liges haud temere, quantum in gentibus ferveat studium a simplicibus verbis, quae necessitatem habuissent parentem, composita declinandi, quorum esset ad sensum et φαντασίαν maior quaedam iucunditas et quasi viriditas. Sed revertamur eo, unde paullulum digressi sumus. Verborum simplicium, quae pedestris etiam sermo celebrare adsolet, ea potissimum pro compositis locata animadvertimus, quae aliquam actionem indicant, cuius notionem quotidiana oratio declarare consuevit composito verbo, quo simul *modi* et *directionis* quaedam quasi imago mentis oculis obiicitur. Nam cibos aut vinum convivis *apponere* (*aufsetzen*, *vorsetzen*) nemo non dixerit in communi ac pedestri oratione; poetae passim: *ponere (setzen, stellen)*; ap. Tacit. Annal. 4, 10. *stupro vincire* aliquem est pro eo, quod usitatius scribitur *devincire* (v. Ernest. ad h. l.), ac similiter in iis, quos supra notavimus, locis Virgilii et Lvcretii: *ferre* pro *auferre*, *ruere* pro *eruere* dici intelleximus. Eiusmodi enim notionum quasi particulas, quibus in quotidiano sermone nemo facile carere se posse putat, posita universali actionis notione, pro eorum, quae addita videris, vocabulorum natura haud dubie supplebis [11]). Sed ineptum esset pro περιαλγεῖν dicere ἀλγεῖν; vt enim ex omni narratione tua denique appareat, *magnis* aliquem vexatum doloribus esse, nemo tamen, qui dilucide ac prudenter scribit, dimidiatas sententias profert, quas hi qui audiant molesta quadam et operosa conclusione debeant perficere. Raro etiam a te impetrabis, vt *dare* sumas pro *reddere*, *dicere* pro *praedicere;* haec enim praeverbia non possunt nisi ex tota aliqua sententiarum continuatione repeti ab eo, qui audiat vel legat. Igitur, vt summatim, quae exposuimus, comprehendam, simplicia verba pro compositis usurpata esse tum existimabimus, cum vel ab usu communis sermonis intermissa illa noverimus vel ad sententiae integritatem aliqua notione opus esse intellexerimus eiusmodi, quae praepositione verbo adiuncta in ea ipsa lingua, de qua quaeritur, declarari cum maxime soleat.

Postquam igitur de finibus, quibus simplicium verborum pro compositis vsus circumscriptus esse videtur, explicuimus (quoad quidem in universum fieri

---

11) Haud pauca video huc relata verborum exempla, quae et origine suâ et ipso vsu communi eam vim habent, quam in compositis verbis quaesiverunt grammatici. Nam *colere* terram vel urbem non est pro *incolere*, sed proprie usitateque dicitur. In hoc autem Ciceronis (de fato c. 18.): revertitur ad cylindrum et turbinem suum, quae moveri incipere, nisi *pulsa*, non possunt, aegre intelligo, cur Bremivs *pulsa* pro *impulsa* valere dicat; multo etiam minus assentior huic interpreti, Cic. Brut. 54. *nervos pellere* pari ratione explicanti. Denique Nep. Attic. 15. *vereri* non valere i. q. *revereri* apparebit opinor ex iis, quae Doederlinvs (Synonym. II. p. 186.) persecutus est.

posset): sequitur, vt eius rei caussas indagemus. Neque enim temere solet quisquam prudens pro eo, quod simplex est vel usitatum ac paene necessarium, eloqui, quod ab vsu communique intelligentia remotum sit. Iam si meminerimus, simplicium verborum pro compositis locatorum exempla enotari maxime ex poetis et oratoribus, facile eo inclinabit sententia, vt istius rei non grammaticam sed rhetoricam rationem circumspiciendam esse arbitremur [12]. Itaque vt dicam quod sentio, lecta existimo a scriptoribus simplicia verba, ubi composita usitatius possent collocari, partim eam ob caussam, quod illa concisius et vero gravius viderentur sensa exprimere (quippe verbi notionem meram i. e. ab omnibus, quae cogitationem distrahere possent, liberam atque adeo densius quasi declarantia [13]), partim prisci sermonis quadam delectatione; a vetustis enim vocabulis orationi aliquam haud spernendam dignitatem, a non detritis gratiam conciliari, recte statuerunt quotquot de eloquentia olim probabiliter praeceperunt [14]. Atque hoc si recte a nobis disputatum est, facile apparet, unde sit, quod philosophi et hi, qui de rebus gestis exponunt, omninoque illi, quorum est tenuis ac sedata oratio, a simplicium et compositorum verborum inter se commutatione fere abstineant [15], si Corn. Tacitvm exceperis

12) Nondum satis distinxeruut N. T. interpretes in graeca sacrorum scriptorum oratione haec, quae rhetoricam haberent rationem coloremque, ab iis, quae ex grammatico genere essent. Atque hoc ipsum in caussa est, quod de figuris, quas dicunt, confuse admodum et ieiune praecipit theologorum vulgus. Equidem aliquando tentabo, si possim, quae ad gravitatem alacritatemque orationis referuntur, brevi disputatione comprehendere et ad psychologicas revocare rationes.

13) Hoc quale sit in patria lingua facilius, quam in peregrina iudicamus vel, vt rectius dicam, sentimus. *Was die Tugend erbaut, das s t e h e t* nervosius et efficacius dices, quam *b e steht.* Passim etiam simplicia verba ad orationem numeris concludendam faciunt. Id nemo accuratius perspexerat Tzschirnero nostro, qui quantum operae dederit orationi numerose cadenti satis constare arbitror, quamquam non omnes, quae in hoc oratore fuerunt, virtutes ab omnibus agnosci intelligo. Sed hoc miror, sacrae eloquentiae magistros nec hunc locum, qui est de verbis simplicibus et compressis, attigisse et omnino de delectu verborum perquam exiliter praecepisse.

14) Nam, vt Qvinctilianvs ait (institutt. 1, 6. 1.), vetera maiestas quaedam et, ut sic dixerim, religio commendat. Idem paullo post adiicit: verba a vetustate repetita — — afferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione, nam et auctoritatem antiquitatis habent et quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Add. Cic. Orat. 3, 38. 43. Voss. rhetor. 6, 4. p. 453. et Hermann de differentia prosae et poet. orat. comm. I. p. 15.

15) Mihi, vt verum fatear, omnes fere illi prosaicorum scriptorum loci, quibus simplicia pro compositis valere docuerunt interpretes, alieni esse videntur. De nonnullis supra expositum est, alios infra erit considerandi opportunitas. Quae ap. Cic. off. 3, 10. le-

prisci ingenii hominem, qui presse ac nervose scribendi, si quis alius, esset studiosus [16]). Sed miraberis fortasse, poetas et oratores, qui alacri et ornata oratione delectantur, ea ipsa vocabula, quibus actionis quaedam quasi imago menti repraesentatur, commutasse his, quae nihil nisi notionem rei declarant, praesertim si recorderis Homerici sermonis, cui a compositis verbis multum spiritus luminisque accedat. Verum enim vero in iis vocabulis cum praepositionibus coniunctis, quorum loco simplicia usurpant poetae, multum est diuturno usu attenuata ea vis, qua phantasiae blandiebant; florem autem coloremque orationis non quaerunt prudentiores poetae et oratores, nisi qui a novitate alacritateque habeat aliquam gratiam. Deinde magis interdum attinet, graviter fortiterque, quam illuminate ac vivide dicere. Sed quaeri denique possit, annon *grammatica* caussa, quae ellipticae dictionis mater fuit, in hoc etiam genere aliquid valuerit. Etenim natura quasi ita comparati sunt homines, vt quae commode possint breviter dici, in communi sermone non copiose et abundanter eloquantur; multas autem formulas perpetuo usu constat eo adductas esse, vt per defectionem dicerentur. Quid igitur mirum, inquies, si pro compositis verbis passim in tenui oratione et quae rhetoricis virtutibus destituta esset tota, simplicia usurparunt, quando quidem ex omni sententiae conformatione appareret, cum verbo praepositionis etiam certam quandam notionem cogitari debere? Audio; nec hunc morem apud eos maxime invalescere potuisse nego, qui aliquam artem factitarent. Nam, quod in epistolarum exitu ponere consuevit scribentium vulgus: *ich unterzeichne als Ihr ergebenster* cet., id mercatores hoc modo declarare novimus: *ich zeichne* cet. Et ab iis, qui libros, antequam typis describantur, examinant vel examinandos tradunt, usitatius: *es ist viel gestrichen worden* dicitur, quam *ausgestrichen*. Sed communis tamen consuetudo, quantum equidem intelligo, ab hoc elliptico verborum simplicium usu

---

guntur, ea recentissimi editores ad numeros poeticos revocarunt v. Beier. ad h. l. Irmischii ad Herodianum alucinationes neminem nunc morabuntur. Sed ipsum etiam Heldivm (l. c.), elegantis iudicii hominem, erroris postulaverim. Nam *ire*, *gehen* et natura sua ab notione *abeundi* proxime abest, et in omnibus linguis eo sensu dicitur, vt haec vis paene in propriam significationem verterit. *πλεῖν* vero in illis, quos apposuit H., Plutarchi locis, comparabis nostro: *zu Schiffe*, *unter Segel gehen*, aut huic formulae satis notae: *der König lässt marschiren* (i. e. *ausmarschiren*).

16) Walch. ad Tac. Agric. p. 112. Nihil in toto hoc scriptore durius esset dictum, quam Annall. 14, 21. *strui* pro *destrui* (v. Doederlin. Synonym. et Etymol. II. p. 95.), etiamsi statueris, *struendo* voc. declinatum ab *ruendo* esse (Doederlin. l. c. p. 126.) Sed hoc tamen patet, egregrie frigere orationem, si *strui* interpretaris *aufbauen*.

sese fere abstinuit [17]); nam praepositiones cum verbis ita sunt ipso loquentium sensu copulatae, vt aegrius quam singula quaedam vocabula, quibus carere posse videatur oratio, praetermittantur [18]). Vnum fortasse verborum genus huc pertinere videbitur, eorum, quae repetitionem actionis significant, vt *κομίζειν*, *ἔρχεσθαι*, *πέμπειν*, quippe quae passim dicta reperiantur pro *ἀνακομίζειν*, *ἀνέρχεσθαι*, *ἀναπέμπειν*. Sed de his etiam aliquantulum dubitari posse infra demonstrabimus. Nunc vero mittimus hanc, quae est de natura et caussis simplicium verborum pro compositis locatorum, disputationem, ne in philologorum rhetorumque campos exspatiantes, theologicam artem deseruisse et externa persecuti domesticorum studiorum obliti esse videamur.

Itaque ad sacros N. T. libros accedamus. In his saepenumero simplicia pro compositis valere, et omnes quotquot novi interpretes haud dubie statuerunt, et, ne quis multum miraretur, caussam rei aperuerunt, positam illam in sermonis hebraei, cui a teneris inde assuevissent apostoli, facili quadam (ne dicam caeca) imitatione. Scilicet cum ea sit hebraeae linguae natura, vt compositorum verborum notiones simplicibus verbis reddat, in LXX. interpretibus et his N. T. scriptoribus magnam fuisse et quasi nativam proclivitatem conten-

---

17) In latino sermone ipsa hac usus perpetuitate factum existimavit DOEDERLINVS (lat. Synonym. II. p. 95), nuper collega coniunctissimus, vt *populari* pro *depopulari* invalesceret. Sed quo ille in rem suam usus est german. *köpfen* (pro *enthaupten*), id non puto decurtatum esse, q. d. pro *entköpfen*. Talia ab nominibus simpliciter declinantur suamque ab arbitrio dicentium sortita sunt significationem, velut *grasen*, quod nemo esse pro *abgrasen* contendet. Adde quae notavit ALBERTIVS in Observatt. ad N. T. p. 185. Dispar est autem eorum ratio verborum, quae, cum initio non nisi praeverbiis interpositis aliquam sententiam exprimerent (velut *γίνεσθαι εἰς τόπον*), diuturno usu eo valuerunt, vt suapte vi compositam notionem declararent. Et FISCHERO quidem placuit, duos huc referre graecorum scriptorum locos, alterum Longi Pastor. 1, 6. p. 14. Schaef. *ὁ μὲν τὸν ἀνιμησόμενον, εἴ τις ἄρα γένοιτο, δακρύων ἀνέμενεν*, Theophrasti alterum Char. 2. — — *καὶ προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι καὶ ὀψὲ γενέσθαι αὐτόν*. At vero haec, quae posteriora apposuimus, haud scio an commode possint explicari ea lege, quam supra not. 6. attigimus; ap. Longum autem *εἴ τις ἄρα γένοιτο* non dixerim convertenda sic esse: *si quis forte advenisset*. Sed simpliciter hunc sensum teneto: si quis forte exstitisset (*ὁ ἀνιμισομ.*), apparuisset.

18) Non putaverim huc spectare Act. 1, 12. *ὄρος σαββάτου ἔχον ὁδόν* (v. KYPKII Observ. II. p. 8.), quasi pro *ἀπέχον* scriptum sit (FISCHER. ad WELLER. III. II. p. 65) ex recentiore loquendi usu; videntur potius haec, vt fit in populari sermone, paullo negligentius composita esse v. WAHLII Clav. I. p. 671. Alios locos, ubi *εἶναι* pro *παρεῖναι* valere visum est, persequitur d'ORVILLIVS ad Charitonem p. 600. ed Lips., sed vereor, vt recte omnes explicuerit. Adde STALLBAVM. ad Platon. Protag. p. 315. E. probabiliter contra BEKKERVM disputantem.

dunt ad praeoptanda compositis simplicia. Sed hoc inepte, si quid aliud, disputatur. Primum enim omnes fere istae actiones, quas Graeci Romanique verbis compositis declararunt, hebraice vel interiectis inter verba et nomina praepositionibus (velut Gen. 13, 4. קָרָא בְּשֵׁם י׳ ἐπικαλεῖν τὸ ὄνομα τ.) vel singulis quibusdam verbis ad id ipsum factis (cf. עָלָה, יָרַד, שׁוּב, סוּר, עָבַר) [19]) exprimuntur. Tantum igitur abest, vt Iudaei, graece locuturi, patrii sermonis indole avocarentur a compositorum verborum usu, vt ea ipsa re saepenumero in eiusmodi verba non potuerint non deduci. Accedit, quod omnes Alexandrinae interpretationis paginae refertae sunt compositorum verborum, eorumque ibi etiam locatorum, ubi in hebraicis ne vestigium quidem esset aut umbra consimilium notionum (crebro enim ac prudenter usurpata reperies talia: ἐπερωτᾶν, καταφιλεῖν, διαμαρτάνειν, ἐπιλανθάνεσθαι, διαμένειν, συγκαλεῖν rel.) [20]). Hos igitur viros tam pingui ingenio fuisse putabimus, vt paucis in locis, nimirum domesticae linguae vinculis misere constricti, simplicia verba pro his, quae adiunctam haberent praepositionem, arriperent? [21]) Iam vero, si V. T. interpretes, qui hebraica graece convertere laborarent, fatalem istam necessitatem prudenter declinasse reperiuntur, quae possit nos ratio adigere, vt N. T. scri-

19) Scilicet *ascendendi*, *recedendi*, *transeundi* actiones tanquam unas et indiscretas sibi informarant Hebraei, non (quod a Graecis Romanisque factum intelligimus) hoc modo, vt eas ad simplices scandendi, eundi, cedendi notiones, unde quasi prognatae essent, revocarent.

20) Adde, quod verba late patentia pro uniuscuiusque loci natura mox simplici verbo mox compositis iisque admodum diversis interpretati sunt. Nam, vt paucis exemplis utar, הָפַךְ, quod omnes *vertendi* modos indicare constat, vel στρέφειν vel ἀναστρέφειν aut ἀποστρέφειν, ἐκστρέφειν, καταστρέφειν, ἐπιστρέφειν, μεταστρέφειν reddiderunt. Pro קָרָא non solum, quod in proclivi erat, καλεῖν, sed passim παρακαλεῖν, προςκαλεῖν, συγκαλεῖν, μετακαλεῖν scripserunt.

21) Locos V. T., ubi LXX. pro compositis simplicia usurpasse visi sunt Haabio (l. c. p. 236. sq.), facile quisque expediet. Nam 1 Sam. 1, 19. hebraica וַיָּשֻׁבוּ וַיָּבֹאוּ אֶל־בֵּיתָה quae coniunctim indicant: *domum suam reversi sunt*, ita disiunxerunt: πορεύονται τὴν ὁδὸν αὐτῶν, καὶ ἦλθεν Ἐλκανὰ εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ ἔγνω τὴν Ἄνναν cet. Sed *revertendi* tamen i. e. discedendi sensus (qui simpliciter remanet in v. שׁוּב) manifesto inest in hac formula: πορεύονται τὴν ὁδὸν αὐτῶν i. e. discesserunt eo, quo venerant, itinere. Esr. 6, 5. pro יַהֲתִיבוּן (מָאנֵי בֵית אֱלָהָא) ap. LXX. legitur: δοθήτω, i. e. *sie sollen übergeben, ausgeliefert werden.* Num inde sequitur, διδόναι suapte vi *reddendi* potestatem habere visum esse his interpretibus? Ex apocryphis commentariis abusus est Haabius loco Tob. 11, 15., ubi haec leguntur: ἐξῆλθε Τωβὶτ εἰς συνάντησιν τῇ νύμφῃ αὐτοῦ — — καὶ ἐθαύμαζον οἱ θεωροῦντες αὐτὸν πορευόμενον, ὅτι ἔβλεψε. Nimirum pro ἔβλεψε exspectarat ἀνέβλεψε. Sed istud non habet nisi hanc vim: *er sah* i. e. *er war sehend.*

ptores, quippe libera oratione usos, patrii sermonis ingenio tam turpiter mancipatos fuisse arbitremur, vt, quid simplicia inter et composita verba interesset, non perciperent aut sentirent saltem? Sed non est, quod generatim disputemus. Satis constat, quantum apostoli composita verba et ea, quae bis composita sunt (*decomposita* vulgo appellant) celebrent. Tales igitur scriptores, idoneum graece cogitandi scribendique usum ac rationem nactos [22]), non est credibile, decem aut viginti locis in re admodum facili, et quae ne ab hebraico quidem sensu abhorreret, lapsos fuisse; praesertim cum ea sit orationis eorum indoles, vt, si in universum existimas, late potius et diffuse, quam presse parceque scribant. Desinant igitur, qui in N. T. nihil fere nisi hebraismos odorantur, in hac certe caussa cupiditati suae levitatique ab hebraico sermone aliquid commendationis petere.

Quid igitur? num simplicia verba pro his, quae cum praepositionibus coaluere, in N. T. collocata esse prorsus ac praefracte negabimus? Id vero equidem non fecerim. Sed, cum in historicis commentariis, qui sunt attenuate scripti, istius permutationis nec caussae satis appareant nec magna ab alienis exemplis orta probabilitas: in hanc animus sententiam inclinat, vt ab iis maxime scriptoribus, qui concitato aut alacri dicendi genere utuntur (Paulum inprimis dico et Iacobum), simplicia interdum pro compositis usurpari potuisse credam. Verum ne ex eo, quod fieri possit, iudicasse videar hoc, quod factum: age ipsos illos N. T. locos, quos huius disputationis finibus concluserunt theologi, deinceps consideremus. Ac *primum* quidem facile quisque nobis concedet, probe diligenterque cavendum esse, ne aut latini aut patrii sermonis proprietate decepti graeca verba, quae id ipsum simpliciter significant, quod nostrates coniuncto praeverbio exprimunt [23]), pro compositis dicta putemus.

---

22) Mirifice enim falluntur, qui Apostolos, quidquid scriberent, hebraice meditatos esse et priusquam consignarent, in graecum sermonem convertisse putant. Nimirum hoc tirones faciunt, non viri inter Graecos multum versati graecaque lingua quotidie locuti. Itaque facile crediderim sententiam suam retractaturos esse aut iam pridem retractasse KOESTERVM, quem magni facio et BRETSCHNEIDERVM. Ille enim in libro, quem de miraculis I. Ch. scripsit (*Immanuel od. Characteristik d. N. T. Wundererzählungen*. Lips. 1821. 8.) p. 278. haec habet: *dazu kam, dass die Verf. (der N. T. Bücher) aramaeisch dachten und nur unvollkommen griechisch schrieben;* quem quidem errorem perstrinxit SCHVLZIVS in n. theol. Anall. 1822. I. p. 381. BRETSCHNEIDERVS autem in praefat. ad I. edit. lexici man. p. 12.: falluntur, inquit, haud dubie, qui non satis perpendunt, *plerosque scriptorum N. T. ea, quae graece scriberent, primum aramaice cogitasse.*

23) In eodem errore videntur versari, qui lat. *quaerendi* voc., ubi significat *erwerben*, pro *acquirendo* dictum putant (v. ACIDAL. ad Vellei. Pat. 2, 18.) Nimirum simplici verbo

Nam Rom. 10, 5. *Μωῦσῆς γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου* nemo hodie erit, qui cum Flacio (Clav. Script. S. tract. 3. p. 142.) praeter consuetudinem aut hebraicae linguae convenienter scriptum opinetur. Quamquam enim nos: *Moses beschreibt die Gerechtigkeit* (*διαγράφει?*) etc., Graecis tamen adeo *γράφειν τινα* (cf. Ioa. 1, 46.) in tenui et pedestri oratione, pariter atque *εἰπεῖν τινα* vel *λέγειν τινα*, valet: *de aliquo scribere (schreibend Jemanden meinen)*; nec Romanos constat ab hoc verbi simplicis usu abstinuisse, quippe *describendi* vocabulo parcius nostratibus usos [24]). *Pendere ab alic. auctoritate* dicunt Latini, non *dependere.* Perperam igitur faceret, qui in ista formula ob patrii sermonis proprietatem simplex pro composito esse contenderet [25]). Mt. 5, 28. *πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς* noli cum Kuinoelio dictum arbitrari pro: *πᾶς ὁ ἐμβλέπων γυναικί* (ita est in nonnullis codd. a glossatoris manu) vel *πᾶς ὁ βλέπων εἰς γυναῖκα* (Gen. 19, 17. Ioa. 13, 22. Act. 3, 4.) cet.: nam voc. *βλέπειν*, cum in universum *videndi* (non solum *conspiciendi*) vim habeat [26]), translatum est etiam ad ea, quae *adspiciuntur* (spectanturque), vt 1 Cor. 1, 26. *βλέπετε τὴν κλῆσιν ὑμῶν*, 10, 18. *βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα*, Cant. 1, 6. *μὴ βλέψητέ με ὅτι ἐγώ εἰμι μεμελανωμένη* [27]). Nihil dico de loco 1 Cor. 10, 13. *πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν*,

---

id ipsum inest; nec licet, quod vulgo usurpatur, eo, quod aliquanto rarius, interpretari. Similiter existimo de v. *ἔχειν*, ubi pro *κατέχειν* collocatum esse volunt, et de *ἔστι*, quod olim verbo *ἔξεστι* interpretari censueverant; nam: *est scire* (*ein Wissen findet Statt*) ipsa principali significatione in eum dicitur sensum, vt indicet: *scire licet*, *sciri potest.*

24) Apud Euripid. Phoen. 587 (583) *inscribendi* adeo sensum habet voc. *γράφειν*; nam quae ibi leguntur: *καὶ σκῦλα γράψεις* a Valckenarii emendatione (quam secuti sunt Porsonus et Matthiaeius) docte vindicavit Schaeferus ad h. l.

25) In similem incurrunt reprehensionem, qui *ponere* apud latinos scriptores pro *deponere* adhiberi statuunt in his: *invidiam, personam adversarii, vitia ponere* cf. Drackenborch. ad Sil. ital. 3, 571. Burmann ad Lucan. 1, 451. Ita enim in prosa oratione tam crebro tamque usitate dicitur, vt *ponendi* verbum latius apud Romanos patuisse videatur, quam vern. *legen.* Itaque si illis placuit: *Fehler legen* (cfr. nostr. *der Zorn legt sich*), non propterea, quod Germani *ablegen* dicunt, videbuntur simplex verbum pro composito usurpasse. Atque hoc est, quod supra (p. 7.) tetigimus, ex *huius ipsius*, de quo quaeritur, sermonis usu iudicari debere simplicium et compositorum permutationem.

26) V. quae de huius vocabuli proprietate disputarunt acutissimus Tittmannus (Synonym. N. T. I. p. 111. sqq.) et Doederleinus (*latein. Synonym. u. Etymol. IV. p.* 315 sqq.).

27) Itaque tolerandam censeo istius sententiae interpretationem vulgo receptam (*jeder, der eine Frau ansieht, die Augen auf sie richtet*), quanquam non prorsus negaverim, verba ita etiam enarrari posse: *quicunque visa muliere ad libidinem accenditur.* Haec enim explicatio nuper placuit Tittmanno l. c., qui tamen non debebat vocabuli *βλέπειν* significationem

ubi Flacius l. c. temere exspectarat κατείληφε, nec Palairetum moror, qui Mt. 24, 39. ἦρεν (ὁ κατακλυσμὸς) ἅπαντας dictum voluit pro ἀνῆρεν. — Alia cautio adhibenda est in locis παραλλήλοις. Parum enim considerate Haabius [28]) Mt. 10, 19. μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε scriptum voluit pro προμερ., quemadmodum legitur ap. Marc. 13, 11. Sed eodem opinor iure possis vicissim προμεριμν. redundanter dictum putare pro simplici μεριμνᾷν. Scilicet late regnat in theologorum commentariis sacri parallelismi, maxime eius, qui *verbalis* appellatur, abusus. Itaque cavebis etiam, ne, quae Rom. 9, 9. leguntur: κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, accipias pro ἀνελεύσομαι, nimirum quod Gen. 18, 10., quem locum P. respexit, scriptum inveniatur: *revertar* (ἐπαναστρέφων ἥξω). Hic enim, ubi non placuerit Apostolo nisi summam rei perstringere, nihil omnino attinebat nec satis conveniens erat, *reditum* Iovae significare. Atque ex eodem genere mihi esse videtur locus Ioa. 3, 16., ubi Deus legitur τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ *dedisse*, vt, quicunque ipsi fidem haberet, vitam consequeretur aeternam. Ex Paullinis enim epistolis, max. Rom. 8, 32., quem locum isti consimilem esse voluerunt, nuper docuerunt Knappius, Lueckius et Tholuccius, διδόναι collocatum pro παραδιδόναι esse, vt Ioannes mortem potissimum Christi dixisse putetur. At vero in ipsa hac Apostoli disputatione non inest, quod nobis, vt voc. διδόναι eo modo attenuemus, persuadeat; quin v. 17. quae leguntur: οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν cet. demonstrant opinor, istam formulam late; vt sonat, dictam esse: *Deus dedit, largitus est* (quem sibi retinere poterat) *filium suum;* atque id ipsum consentaneum est doctrinae Ioanneae. Ista autem Paullina, παραδιδόναι vel διδόναι ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων (ἁμαρτιῶν) paullulum diversa esse ab hac, de qua quaerimus, formula neminem latebit.

Deinde seiungendae videbuntur a nostra quaestione eae sententiae, quibus omnino non attinet praeter id, quod in verbo simplici inest, quidquam cogitando adiicere. 1 Cor. 15, 24. εἶτα τὸ τέλος· ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ θεῷ καὶ πατρί non est, quod παραδιδόναι vertas *reddere*; nam etiam

---

apud hos certe scriptores, iusto arctioribus circumscribere finibus. Olshausenius more suo ne verbum quidem apposuit de ista interpretum dissensione.

28) Non prudentius ille 2 Chron. 8, 2. τὰς πόλεις ἃς ἔδωκεν Χιρὰμ τῷ Σαλωμὼν interpretatur: *quas reddiderat.* Nimirum e loco 1 Reg. 9, 11 sqq. conclusit, Hiramum oblatas civitates, quae ipsi displicerent, Salomoni reddidisse. Sed id gratis fecit. Nec decet interpretem, ad conciliandos inter se Regum et Chronicorum libros, primum aliquid comminisci, deinde vocabula in alienum sensum detorquere. Cet. v. de hoc, quem tetigimus, loco Grambergii commentar. *die Chronik nach ihrem geschichtl. Charakter* p. 215.

si *βασιλείαν* de eo ipso regni consortio dictum existimes, in quod Christus assumtus olim fuerat a Deo (de qua quidem re non constare inter explicatores novimus), tamen h. l. quid quaeso adducere debebat Paulum, vt simul *originem* istius *βασιλείας* animo informaret verboque significaret? Ac si ex reliquis locis illustrationis gratia notionem *τοῦ παραδιδόναι* exponere sic placeat: *imperium olim susceptum ei, a quo suscepisset, restituere*, pariter possis etiam alia, quae ad sententiam uberius perspiciendam faciant, probabiliter congerere. Sed hoc explicatoris est, non interpretis. Mt. 2, 20. angelus Iosephum hortatur, *πορεύου*, inquiens, *εἰς γῆν Ἰσραήλ*. Hoc plurimi, in his nuper etiam SCHOTTVS et KVINOELIVS, interpretati sunt: *revertere* in terram Israeliticam. Nimirum hoc non est latine transferre, quae graece scripta sunt, sed ex iis, quae ante narrata fuerant, docere, qualis esset haec Iosephi profectio. Non dicit angelus nisi hoc: *abi in terram Israeliticam*; respici ab eo debuisse istud iter, quod Iosephus in Aegyptum fecerat, ita vt hunc *reditum* viri esse significaret, nemo opinor demonstrabit; adeoque temere statuunt, si qui *ire* cogitatum dictumque a scriptore volunt h. l. pro *redire*, *reverti*. Recte LVTHERVS: *ziehe hin in das Land Israel* et Vulg.: *vade* in terram Isr.[29]). Similiter, quae Apoc. 20, 13. leguntur *ἔδωκεν ἡ θάλασσα τοὺς ἐν αὐτῇ νεκροὺς καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἔδωκαν* cet. non habent nisi hunc sensum: *ediderant* mare et orcus mortuos. Perperam SCHOTTVS: *reddiderant*. De loco Mt. 15, 31. *θαυμάσαι (κωφοὺς λαλοῦντας, κυλλοὺς ὑγιεῖς ——) καὶ τυφλοὺς βλέποντας*, ubi SCHLEVSNERO placuit *βλέπειν* pro *ἀναβλ.* accipere, ne tirones quidem dubitabunt, mirabuntur autem eundem hunc interpretem Ioa. 9, 7. eo processisse temeritatis, vt *βλέπειν*, quod ad hominem a *natalibus coecum* refertur, explicaret: *visum recuperare*. Nimirum vicissim iubet SCHL. *ἀναβλέπειν* vers. 12. pro *βλέπειν* accipi. Egregiam constantiam! Sed nostrum erit, alio tempore de illa Ioannis narratione, quae WAHLIVM etiam vexavit, disputare. Pergimus ad locum Mt. 26, 61., ubi haec sunt: *δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτόν*. Scilicet non putaverim in verbo *aedificandi* necessario quaerendam[30]) esse iterationis notionem vel hanc ipsam scri-

29) Ex eodem hoc genere sunt Ioa. 6, 7. Luc. 12, 36. sq. 15, 20. 30. 23, 26. 24, 23., in quibus locis miror WAHLIVM etiam verbo *ἔρχεσθαι reverlendi* potestatem tribuisse. De Act. 4, 23. haud inepte disseruit KVINOELIVS. Quid vero WAHLIVS sibi velit, locos 1 Ioa. 2, 18. 4, 3. [illegible] de Antichristo sunt, huc referens, non assequor. Denique *πορεύου* et *ἐπορεύετο* I[illegible]0. simpl. converte: *i*, *ivit* (abiit).

30) Frustra fuerunt, qui Mt. 23, 29. *οἰκοδομεῖν τοὺς τάφους τῶν προφητῶν* interpretarentur: *instauratis vatum sepulcra* (v. KVINOEL. ad h. l.) Nam collapsa potissimum sepul-

ptoris menti obversatam fuisse. Satis est vertere: *niederreissen und in drei Tagen aufbauen*, quemadmodum Lvthervs. Sola enim, quae destructioni contraria est, aedificandi actio denotatur. Talia passim ab antiquis simplicius h. e. minus abundanter et enucleate cogitari dicique solebant [31]). Aut quotusquisque est, qui opinetur, Graecos et Latinos, si quem *civem suum* appellabant, compositam notionem *Mitbürger*, vt nos, animo informatam habuisse? Nimirum ita haud dubie dicerent *concivem*, quemadmodum dixere *commilitonem*. Sed paullo inconsideratius fecerunt, si qui nuper etiam Ioa. 10, 16. *κακεῖνα* (*πρόβατα*) *δεῖ με ἀγαγεῖν* pro simplici verbo compositum *προςάγειν* (Lvth. *herführen*) Apostolo obtrusere. Pastoris est *ducere gregem*, quocunque demum agatur sive in pascua sive domum. Recte igitur Lveckivs: *auch diese muss ich führen*, i. e. horum etiam cura ad me pastorem pertinet. Vt unum addam, Schotto non credes 1 Cor. 14, 7. graeca: *πῶς γνωσθήσεται τὸ αὐλούμενον ἢ τὸ κιθαριζόμενον* latine sic interpretanti: quomodo *dignosci* poterit cet. Nimirum *γινώσκειν τὸ αὐλουμ.* simpliciter est: *verstehen* h. e. qualis sit tibiae sonus et quorsum spectet, intelligere.

Haud gravate etiam (*tertium* enim genus persequi placet) confitebuntur, qui aliquid sapiunt, defendendos esse ab interpretum simplicia pro compositis accipientium temeritate eos locos, quorum sententia isto artificio adhibito perverti videatur. Hoc accidit passim viris doctis in explicando v. *κρίνειν*, quod cum consuevissent pro *κατακρίνειν* (*condemnare* et *punire*) accipere, sententiis Apostolorum vim inferre haud dubitarunt. Nam 1 Cor. 11, 32. (*κρινόμενοι ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν*), si *κρίνεσθαι* est i. q. *κατακρίνεσθαι*, quo modo toleranda censebis haec, quae sequuntur, *ἵνα μὴ κατακριθῶμεν?* Nimirum *κριν.* explicant de levioribus poenis, quae in his terris perferendae sunt, *κατακρ.* de aeterno supplicio, v. Schlevssner. s. h. v. At, obsecro, quibus artibus istud sententiae discrimen e verbis graecis extundes? Hoc potius videtur Ap. dicere (nam vocum *διακριν. κριν.* et *κατακριν.* eleganter collocatarum proprietatem vix licebit latine aut vernacule assequi): si nosmetipsos iudicaremus (quippe explorantes digni an indigni ad res sacras ac-

---

era h. l. dici, gratis sumitur. Pharisaeorum pietas in eo versabatur, vt loca, ubi vatum ossa reposita novissent, monumentis sepulcralibus vel ornarent vel, si forte ea ruinosa essent, instaurarent. Itaque generatim dicta non licet ad angustiorem sensum revocare. Ceterum paene ridiculus videbitur Schlevsnervs Io. 2, 20. *τεσσαράκοντα* [illegible] *ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος* pro *ἀνῳκοδομ.* positum contendens. Sed parum ab[illegible]in etiam Kvinoelivs ad hanc se opinionem inclinet.

31) De hebraico בָּנָה v. Mavreri commentar. in Ios. p. 58.

cedamus), non iudicaremur (non subeundum nobis esset alius [numinis] iudicium); iudicati vero a Deo *(dem Gericht Gottes anheimfallend, und von ihm gerichtet, ob wir würdig oder unwürdig geniessen)* sequitur, ut castigemur, ne olim condemnemur. Levioris igitur poenae significatio non in v. *κρίνειν*, sed in *παιδεύεσθαι* inest, *κρίνειν* autem simpliciter denotat *iudicandi* actionem; iudicium denique qualem exitum habeat, voc. *παιδεύεσθαι* ostendit. Ioa. 18, 31. falluntur (v. KVINOELIVS), qui Pilati verba *λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν* ex iis, quae Iudaei respondent: *ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα* interpretantur: secundum legem vestram *condemnate* eum! Pilatus nihil vult nisi hoc: sententiam ipsi ferte de reo, vestrum sit de eo iudicium. Iudaei autem, rem iudicatam apud animum suum habentes, cupide, quale poscant iudicium, produnt. Aliud perversae interpretationis exemplum habemus Apoc. 5, 3. Graeca enim: *οὐδεὶς ἠδύνατο . . ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον οὐδὲ βλέπειν* ita vulgo enarrant [32]): nemo potuit volumen aperire vel *inspicere* h. e. legere. Atque id praeter verbi usum faciunt. Tu simpliciter interpretare: nemo potuit vol. aperire, *ne cernere quidem*. Id non adversatur v. 1., ubi vates se hunc librum vidisse (*εἶδον*) fatetur. Aliud est enim obsignatum volumen eminus et *ἐν ὁράματι* conspicere, aliud eius adspectum cominus tolerare.

Sed tempus monet, ut ad eos progrediamur locos, quibus simplicia verba ut pro compositis valere putemus, omnis verborum comprehensio ac sententiae natura flagitare videtur. Luc. enim 19, 13. homo quidam nobilis peregre profecturus familiae suae, cui pecunias tradiderat, haec dixisse legitur: *πραγματεύσασθε ἕως ἔρχομαι*. Id vero non potest, nisi hunc sensum habere: *dum revertar* (*ὑποστρέψω* cf. v. 12.). LVTHER. *bis dass ich wiederkomme*, vulgatum ille interpretem, qui *dum venio* reddidit, deserens. At tamen, si accuratius rem perpenderis, intelliges, ne hic quidem necessarium fuisse compositum verbum. Interpretare: *bis ich anlangen, eintreffen werde.* Videlicet in arbitrio heri positum fuit, utrum *reditum* an *adventum* suum i. e. utrum simplicem actionem an relatam illam ad prius aliquod factum appellare mallet. Nec, quod nostrates talia solent paullo diductius et explicatius dicere, graeca, quae plene perfecteque enunciata sunt, addito praeverbio complenda existimabis (v. quod supra disputavimus de v. *οἰκιδομεῖν*). Et optimi quique scriptores in similem modum saepenumero dixerunt. Xenoph. Cyrop. 6, 2. 9. *ἐπεὶ οὕτω διακειμένων ἦλθον οἱ Ἰνδοὶ ἐκ τῶν πολεμίων, οὓς ἐπέπομφει Κῦρος ἐπὶ κατα-*

32) Id nuper suasit etiam EWALDVS, loco Soph. Oedip. Tyr. 740. mirifice abusus.

σκοπῇ, 6, 1. 40. Anab. 5, 1. 4. *ἢν πέμψῃτέ με, οἶμαι ἂν ἐλθεῖν καὶ τριήρεις ἔχων καὶ πλοῖα τὰ ἡμᾶς ἄξοντα* [33]). Atque ita existimabis etiam de locis Phil. 2, 25. 28. Ioa. 4, 16. Scilicet qui *redeunt* (reveniunt) vel *remittunt*, nihil isti aliud nisi *veniunt* et *mittunt*; ipsae enim verborum *ἔρχεσθαι* et *πέμπειν* notiones non habent ab *ἀνὰ* praepositione aliquid accessionis vel incrementi; itaque aliud certe est, si facere pro *perficere* aut *ruere* pro *eruere* sumis, aliud idque longe tolerabilius omitti praeverbium, quod non declarat nisi aliquam ad aliud quoddam factum *relationem*, praesertim in verborum comprehensione ea, quae *abeundi* vel *ablegandi* vocabula ipsa concludat. Et, si recte quidem memini, paullo rarius utuntur Graeci verbis *ἀνέρχεσθαι*, *ἐπανέρχεσθαι* [34]), *ἀναπέμπειν* (*remittere*), ut ea res, quam exposuimus, paene ipso loquendi usu contineri videatur, nec sit, quod simplicia praeter consuetudinem dicta esse statuas. Sed ducit haec nos disputatio in loc. Hebr. 13, 23., *γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον, μεθ᾽ οὗ, ἐὰν τάχιον ἔρχηται, ὄψομαι ὑμᾶς*, quae verba fuerunt qui sic interpretarentur: scitote Timotheum (a me) ablegatum esse vel discessisse, quocum si ocius *redierit*, vos invisam. Etenim, si vel concedamus, recte sic explicari voc. *ἀπολελυμένον* (certe *ablegandi* sensum nusquam habet [35])), tamen non apparet, quidni commode dici possit: *Tim. ist abgesendet: wenn er rechtzeitig kommt, will ich euch mit ihm besuchen.* Talia ne nostratibus quidem prorsus displicebunt, quamquam fortasse nonnullis paullo negligentius dicta videbuntur. Sed v. *kommen* scriptum esse pro eo, quod unice deberet, *zurückkommen*, nemo prudens contendere ausit. Incidimus in quaestionem late patentem. Nam hoc ipsum voc. *ἔρχεσθαι* constat ab interpretibus, quoties Christus abitum parans se olim venturum esse discipulis pollicetur (cf. Mt. 10, 23. 25, 31. Luc. 18, 8. Ioa. 21, 22. coll. Act. 1, 11. al. [36])) explicari de *reditu*. Atque ita factum, ut, qui religionis christianae capita explicuerunt, solennem Christi *reditum* olim futurum celebrare consueverint. Et ego quidem haud negaverim, potuisse Iesum in re saepius disputata paullatim

---

33) Cf. KRVIGER. ad Xenoph. Anab. 2, 1. 1. et 9. Alia quaedam habet RAPHEL. Annotatt. Tom. I. p. 666. sq. Ex LXX. cf. Dan. 4, 33.

34) Nam *ἀνακάμπτειν* potius est *reverti*, *umkehren*, quam revenire, *zurück kommen.*

35) V. quae de hoc loco probabiliter disputavit BLEEKIVS: *der Brief a. d. Hebraeer*, Tom. I. p. 273. sqq. Praeiverat SCHVLZIVS, quem KVINOELIVS si carpere vellet (Commentar. in ep. ad Hebr. p. 536.), debebat subtilius in voc. ἔρχεσθαι rationes inquirere.

36) Ex alio genere est locus Ioa. 14, 18.

eo adduci, ut brevius diceret, ac quod nemo audientium non posset non de *reditu* intelligere (praesens enim tum aderat Iesus), adventum nominaret. At mirum profecto est, in universo N. T. non legi hac de re vocabulum, in quo insit *reditionis* expressa sententia [37]; *adventum*, παρουσίαν, aut ἐπιφάνειαν appellant etiam Apostoli iidemque constanter *veniendi* vocabulo utuntur (1 Cor. 4, 5. 11, 26. cf. Hebr. 10, 37.) [38]. Itaque putaverim in his verbis acquiescendum esse [39]; scilicet, quae olim futura est Christi divina maiestate induti παρουσία, ea verus eius ac proprius tanquam Messiae dudum exspectati *adventus* videbatur et habito prophetarum, maxime propheticae formulae ὁ ἐρχόμενος, respectu (cf. Hebr. 10, 37.), ita appellari potuit, ne dicam, debuit. Restat, ut denuo attingamus verb. κρίνειν, quod centies visum est [40] *condemnandi puniendive* potestatem habere (velut Rom. 2, 12. 2 Thess. 2, 12. Hebr. 13, 4. cf. Philostr. Apoll. 8, 7. et voc. κρίσεως Xenoph. Mem. 4, 8. 2. Anab. 1, 6. 5. Aelian. V. H. 14, 43. [41]). Ego, ut facile concedo, hoc verbum passim eum, quem dictitant, intellectum praebere, ita aegre adducor, ut pro composito κατακρίνειν usurpari credam. Scilicet κρίνειν τινά, *jem. richten*, quamquam per se anceps est, tamen sua quadam vi et ipso sermonis usu magis inclinat ad condemnandi quam absolvendi significationem, similiterque nos dicimus: *er hat sein Urtheil empfangen*, si quem sceleris damnatum esse comperimus. Accedit, quod passim ambiguum aut molle vocabulum aliquanto gravius ac severius videtur proprio (in quo genere continetur rhetorica orationis conformatio), et ipsi sacri scriptores, ubi de Deo agitur, convenientius κρίνειν, in quo verbo iudicis caussam rei pensitantis notio inest, quam κατακρίνειν, quod vindicem et punitoris severitatem declarat, collocarunt. Ita-

---

37) Nam quae Ioa. 14, 3. leguntur: ἐὰν πορευθῶ καὶ ἑτοιμάσω ὑμῖν τόπον, πάλιν ἔρχομαι, paullulum remota sunt ab hac de Christi Messiae ac iudicis παρουσίᾳ disputatione.

38) Cf. etiam formula μαρὰν ἀθά 1 Cor. 16, 22.

39) Constat latinam ecclesiam in symbolis tuitam esse *veniendi* vocabulum. Contra in Aug. Conf. a. 3. legitur: Christus palam est *rediturus*.

40) Meliora docuit Lvckivs in Commentar. ad Ioa. Evang. Tom. I. p. 601. sq.

41) Alienissimus est locus Herodiani 1, 11. 12. Verba Ioa. 5, 29. εἰς ἀνάστασιν κρίσεως non habent nisi hunc sensum: pravi in vitam revocabuntur, ut se sistant *iudicio* (divino). Huius autem iudicii qualis exitus futurus sit, non ipso hoc v. declaratur, sed ex universae sententiae connexione (ἀνάστασις ζωῆς, οἱ φαῦλα πράξαντες) et ex v. 24. apparet. Itaque recte Lvthervs: *zur Auferstehung des Gerichts.*

que graeca germanice interpretanti ubivis tenendum puto voc. *richten*. Ceterum nulla est in hac disputatione hebraicorum שפט, דין et ריב habenda ratio, quippe quae cum personae accusativo copulata sexcenties notent: iura alicui sua reddere, facere ut quis caussam obtineat; nam ipsi LXX. intelligentes, hoc non posse graece converti: *κρίνειν τινά*, prudenter interpretati sunt *κρίνειν τινί*.

Sed haec hactenus. Nam quae disputanda restant de critica tractatione eorum locorum, quibus simplicia verba a librariis in composita mutata deprehenduntur, ea ut in aliud tempus reiiciamus, libelli nos academici augustiae cogunt. Nunc autem aperiendum, quae huius scriptionis exoptatissima caussa fuerit. Scilicet placuit Potentissimo REGI SAXONIAE, ANTONIO et, quem ILLE paterni Imperii socium esse voluit, SERENISSIMO PRINCIPI, FRIDERICO AVGVSTO, me Erlanga, ubi integrum fere decennium in profitenda publice theologia consumsi, ad hanc florentissimam Academiam, quae me olim tironem vidit aluitque, clementissime revocare et Theologiae Professorem ordinarium pari cum reliquis iure designare. Hoc igitur gravissimum munus more maiorum proximo d. II. Februar. in Auditorio ICtorum recitanda oratione: *de theologiae biblicae caussis et rationibus* adire simulque pro *Domus Regiae* et huius ipsius Vniversitatis salute bona vota nuncupare constitui; quam quidem solennitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI HVMANISSIMIQVE praesentia sua ornare et mihi dicenti benignas aures praebere velint, omni, qua decet, observantia pietateque rogo.

P. P. domin. III. post Fest. Epiphan. a. cIↄIↄcccxxxiii.